

pelagus nusquam fatis emensum, non eroma-
tis, problematis, opinationibus, conjectationi-
bus refertum, quibus mens fluctuat & titubat,
sed definitionibus, axiomatis, principiis, con-
clusionibus, tanquam corollis redimitum, qui-
bus intelligimus, & sapimus; ô prædives the-
saure, non delitescens in visceribus terræ, sed di-
vina virgula erute, defecate, rutilans; ô gleba fe-
rax bibliopolarum non egens pertica ut vane-
at, quam turmatim circumstant, emaces studio-
si; ô macete liber, fermentum bibliothecæ in quo
parturiendo non opus Lucina, aut obstretrice,
opus elucubratum & multæ musæ, imo potius,
ut tua pace dicam, opella, habita ratione eorum
quæ vigiliæ tuæ antelucanæ, & indefessa remi-
gia literariæ Reipublicæ spondent. Sed prodeat
& sexta tuarum observationum promissarum
Centuria, prodeat promissa Magia tua naturalis,
prodeat Zoophytorum & Zoolythorum promif-
sus etiam libellus, prodeat naturæ amphithea-
trum in quo animalium, vegetantium mineralium
historias, & omnes artes breviter edoces, prode-
ant adhuc alia tua Chemistica opera; prodeat
curiosa mollis tui Mæcenatis vita, prodeat tandē
in auras luminis doctus tuus Gelasinus, Demo-
critus promissus cachinnos efflans, cum suis a-
tomis, & eorum angulis, ab Epicuro plagiariorum
tantopere deprædicatis, prodeat intrepidè de-
mens ille cordatus, vesanus sapiens, exoculatus
Lynceus, aruncis hirsutus, macie & pallore con-